



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXII. Modus, quo Laici circa exteriora in disciplinari vita
servabantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T XX.

Quòd agenda , ut fierent , pradisposuit.

AUdi nunc prædicti Prioris sollicitudinem satis diligentem pro operibus agendis & perficiendis ; nam ne in exequendis operibus aliqua negligentia impedimentum præstare posset , idcirco præfatus Prior , prout frequenter omni die post completorium (saltem cum feriata sequeretur dies) Procuratore suo , Magistróque agriculturæ ad se vocatis , ita singula crastina die facienda fieri disposuit , ut eadem die illucescente omnes & singuli de sibi necessarijs antea provisi absque ulla dilatione ad agenda cum festinatione properarent.

C A P U T XXI.

De diligentia Prioris circa alienata bona.

Venerabilis insuper Prior , de quo agitur in præsentì , circa alienata bona sui Monasterij tam fidelem pro eorundem recuperatione sese exhibebat , ut quidam militaris eum ob hoc ægré ferens pecunijs quamdam personam de numero prædonum (qui præfatum Priorem interficeret) subornaverit ; Nec sic ab ineptis præfatus Prior cessans Monasterij bona virili animo , ut reduceret , laborabat ; Is verò , qui Priori mortis foveam in animo præparavit , horribili iudicio præventus , in foveam ipse ruit , quam effodit.

C A P U T XXII.

Modus , quo Laici circa exteriora in disciplinari vita servabantur.

AUdiatur nunc laudabilis modus , quo subditos sibi Laicos DEO eum juvante in disciplinari vita custodierit : nam dum Laici sui Monasterij foris in campis aut sylvis laborabant , prædictus Prior secundum Monasterij facultatem pro refectio-
cibum

cibum transmittere consuevit, & refectioe peracta illud, quod in cibis superfluum fuit, statim per eum, qui cibum attulerat, ad Monasterium reportabatur. Talimodo prædictis Laicis omnino dempta fuit occasio, ne quis eorum in privato de cibis superduis contra disciplinarem vitam seorsim se reficerent, cum placeret.

CAPUT XXIII.

Quomodo detractores corrigebat specialiter.

TAntus amator pacis exstitit præfatus Prior, ut si quis de subiectis suis coram se de alio Confratre conquestus erat, ne per huiusmodi quærelam major oriretur dissensio, illò penes se retento, qui conquestum fecerat, statim alterum, qui reus videbatur per nuntium adduci fecit, quibus in unum convenientibus iusserat Prior, ut is, qui præviè privatim contra alium quærelam deposuerat jam coram ipso positus idipsum, quod antea dixerat, publicè fateretur, & quem Prior in altercatione tali ibidem reum deprehendit, hunc impunitum saltem verbò abire non permisit; talique industrio modo præfatus Prior dissidentes suos subditos ad charitatis & veritatis lineam reducens singulos tanto timore percussit, ut rarò aut nunquam aliquid de altero loqueretur in privato, quod in publico minimè probare posset.

CAPUT XXIV.

De miraculo, quod contigit tempore sui regiminis.

JAm quamdã rapinam prædictis Regularibus sub regimine dicti Prioris illatam ex certa scientia præsentibus annexere dignum iudicavi: Militaris quidam de Castro Wewelsburg multitudine subditorum suorum stipatus quadam vice cum sex curribus sæna domûs B. MEINULPHI de Campis, qui vulgari lingua Doctseetfeld nuncupatur, ad suum claustrum duci fecit. Quod dum Laicis dicti Monasterij fuerat nuntiatum, tale damnum suo loco inferri dedignan-